

DEDICATORIA.

quia octennes pueri discere potuissemus ac debuissimus. Vide hac de re plura sub finem meae Dissertationis. Præterea, quod bene notandum est, nulla ego usitata præcepta repudiavi aut mutavi nisi falsa, obscura, deficientia & nimis proluxa, quod omnes viri boni unanimiter pronuntiabunt & probabunt.

III. OBJECTIO. Oportet esse conformitatem in scholis. Ergo vetus Grammatica, qualiscunque sit, est retinenda.

Ex quo loco sumtum est hoc argumentum? Conformitas omninò laudanda & optanda est, sed non quevis (Nam & in malis rebus, ut in superstitionibus Pontificiis conformitas quedam esse potest) sed bona duntaxat & salutaris. Ejusmodi autem conformitas Grammaticarum rerum si in scholas introduci debet, ante omnia simpliciter necessarium est, ut præcepta illa consentiant cum usu optimorum Autorum, qui solus vel præcipue saltem est norma omnium præceptionum Grammaticarum. Huic n. si adversa fronte repugnant, quorsum demum evadet illa iactata conformitas? an non in summissam difformitatem ac dissonantiam magno cum dedecore conjunctam? Nam, ut verbo me expediám, Finis ultimus totius Grammaticæ, atq; universæ illius Conformitatis Scholasticæ est nullus alius, nisi ut pueri vel adolescentes in Scholis quàm citissimè, tutissimè & jucundissimè (loquor cum Medicis) ad similitudinem classicorum Autorum orationem suam conformare discant. Hoc vero nunquam quisquam obtinebit ex vulgaris Grammaticæ præ-

b 2 ceptis